



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

persecutores, perpetuò dimicant; non deseret; sed novis auxiliis benedictionibus, victoriis & triumphis Austriacorum Procerum fidem Catholicam, & Eucharisticam pietatem abundantius cumulabit, donec opus quod per illos aggressus est consummatum sit totum, omniq̄ue ex parte absolutum.

## §. II.

**P**Ergat ergo majora in dies aggredi, pro gloria Crucis certamina Magnanimus, & Piissimus Imperator: avitæ fidei, justitiæ, & eximiæ pietatis Majorum suorum, hæres Leopoldus Augustus, illustrioribus semper facinoribus, Nominis sui omen implens: omnium Cæsarum, in se uno gloriam colligat: & hæroïcis omnium Christianarum virtutum, actibus superexaltet; & quidquid est dispersum in cæteris, in universum, in uno Leopoldo cumulatum, totus terrarum orbis veneretur.

Postquam sapientissimus Regum Israël unam sapientiam, omnium regno-

rum gloriæ prætulisset : tam grata Deo fuit ejus electio, ut spiritu desideratæ præ omnibus sapientiæ repletus, venisse sibi omnia bona pariter cum illa asserat, & gratuletur. Fidem Catholicam, & pietatem Eucharisticam ac Marianam, duo immobilia Austriacæ Domus fundamenta, quis Christianus si rectum judicium judicet, prudentiæ, & gloriæ Salomonis, cujus tam incertus est exitus, non esse præferenda censeat? quæ ergo bona & dona perfecta à Deo optimo expectare non debeat, tam Catholicus, tam justus, tam Pius Imperator? Miramur & suspicimus Rudolphi primi victoriosi, perpetuam felicitatem? secundi prudentiam singularem? Alberti triumphatoris illustres victorias? secundi supremos honores? Frederici primi invictam constantiam? secundi æquanimi- tatem? Maximiliani primi Heroicam fortitudinem? secundi clementissimam indolem? Caroli quinti potentiam? Mathiæ justitiam? Ferdinandi primi Religionem? secundi pietatem beneficam? tertii Clementiam? quarti amabilitatem? Hæc omnia sunt

perpetua Austriacorum Principum  
 eximiae pietatis erga Eucharistiam,  
 monumenta. Audeo dicere, quidquid  
 à quadringentis, & amplius annis ab  
 Habsburgicâ Radice, fidei Catholicæ,  
 iustitiæ, virtutis, potentiae, gloriae,  
 ac felicitatis, emanavit; in uno Leo-  
 poldo, tanquam in Augustissimæ Do-  
 mus & Cæsarum omnium epilogo,  
 cumulandum confidimus. Certè si Sa-  
 cerdoti sapientiâ & probitate vitæ an-  
 no 1649. Brunæ in Moraviâ, cum opi-  
 nione sanctitatis defuncto, cuius mul-  
 tas prædictiones veras fuisse constat,  
 fidem meritò adhibere possumus; Im-  
 perator Leopoldus, post multas tri-  
 bulationes, & persecutiones, & plu-  
 rima adversa: tandem divinâ ope, è  
 tot periculis, quibus opprimendus  
 credebatur, omnibus mirantibus eri-  
 pietur: omnes hostes superabit, &  
 confundet, atque pedibus suis sub-  
 jiciet: Et brachio Altissimi cum piissi-  
 mo Imperatore præliante, vincet om-  
 nes suæ gloriæ æmulos: Feliciter re-  
 gnabit: imò erit felicior, quàm ullus  
 ex Domo Austriacâ fuerit; Deo au-  
 spice qui Pios Principes non in seipsis,

sed in Domino confidentes liberat de manu angustiae, & felices reddit; quoniam magna potentia Dei solius, & in humilibus illum invocantibus honoratur. Felix est amicus Dei, inimicus miser.

## NUMERUS XVII.

*Magnum Dei donum, Rex Bonus, Justus, Pius.*

### §. I.

**U**nquam magis irascitur Deus in populum suum, quàm cum illum tradit in potestatem Principum infidelium & iniquorum: nec unquam majora, suis fidelibus præbet singularis benevolentiae argumenta, quàm dando illis Principes bonos, justos, Pios, viros secundum cor suum. Mali sunt instrumenta furoris in destructionem sunt gladii, ex utraque parte acuti, & flagella ultionis in destructionem. Boni sunt prætiosa vasa electionis in ædificationem: & Dona dilectionis in salutem ac san-